

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ Martii M. DCC. XXX.

M. JOAN. BAPT. THOMA MARTINENQ, SCHOLARUM PROFESSORE, DOCTORE MEDICO,

PRÆSIDE.

Utrùm ab Injectionibus *directa* GonorrhϾ *curatio ?*

I.



STEMMATA quid prosunt? Quid juvat corporis præstantia? Quid robur ? Quid vultûs, quid colorum nitor ? Aliunde differt homo ab homine. Mas & femina, quantumvis ejusdem naturæ, multùm inter se discrepant. Vultu, dissimilis uterque; diversus, corporis habitu; pudendorum fabricâ, dispar. *Androgynum* dari ex his conflatum, fabula; puellam in puerum evasisse, illusio; sexûs immutatio, commentum. Varia *genitalium* dispositio, maris & feminæ distinctionem, sive sexum constituit. Ad hunc, nihil planetarum exaltationes, nihil ordinata vel connexa diversimodè sidera, paren-

tes omnia suppeditant. A sexuum discrimine, nulla diversitas ingenii. Par in utroque *Veneris* cupiditas; par illecebra voluptatis. Hinc vehemens illud propagandæ speciei desiderium. Hinc animorum consensio & adhæsio corporum. Maris & feminæ copula, utut immortalitatis amans, quamvis matrimonii finis alter, constans & unica sobolis suscipiendæ ratio: quot attamen, quantaque secum aliquando trahit incommoda! Quam importat flagitiorum iliadem! Quid enim non est mali nasciturum, si vel ultrà modum, vel intempestivè Sexus exagitentur? Quid si aut promiscuæ, aut virulentæ litent *Veneri? Catameniis* fluentibus, si liberis detur opera, contages unius, alium inquinat: sic ab uxore *tabidâ*, *tabidus* sponsus; & vice versâ. Quot ad morbos non est potissimùm damnata mulier, quæ *menstruata* dulces thalamos experitur? Concipiat, supprimitur naturalis *excretio*; secùs, depravatur: utrinque insidiæ. Ab immoderato *Veneris* usu, nonnunquam *Apepsia*, *Dupsnœa*, *Peripneumonia*, dolor lateris *punctorius*, *Phthisis*, *Podagra*, *Vertigo*, *Calvitium*, Senectus præmatura. Nec ab alio, lascivientium pallor, facies exanguis, oculi cavi, frons contracta, mollities inexcitabilis, incessus vacillans, virium tandem omnimoda prostratio. Turpioribus plectuntur adhuc maleficiis, qui, sani licèt & integri promiscuè *pudendis* abutuntur, coeuntve intemperantiùs. Attritu *Penis* insolentiori, *Vaginæ* parietes in furias ignemque ruunt, contrahuntur, relaxanturque celeriùs, uberiùs perspirant; *Vaginalis* udor, saliva seminalis, semenque ipsum agitata nimis, incalescunt, unà confunduntur, putrescunt. Sic ab ipsâ *munditie*, sordes; sic à sordibus, *virulentiæ* primordia. Hinc *Rhagades*, *Verrucæ*, *Gonorrhœa*, *Crystallina*, *Carcinomata*, *Phymosis*: hinc *Bubones*, *Fistulæ*, *Mariscæ*, *Crystæ*, *Condilomata*, *Exostoses*, aliaque concubitûs impuri fœda *Symptomata*, *Syphilidis* prodromi, vel Satellites. Hos inter *Gonorrhœa* si frequentiùs affligit, at certè curatur faciliùs: cùm præsertim, & sine periculo, & sine morâ, *Pharmacis* proximè oppugnatur, reprimitur, extinguitur. Directa medendi ratio non aliundè repetenda.

I I.

EX quo nefandæ indulgetur *Veneri*, *Veneris* impuræ prostant monumenta. Delineatum in sacris paginis *profluvium* è carne, *Gonorrhœam* nostràs exprimit. Hæc, involuntarius est, indesinens, & præternaturalis effluxus, in quo humor ab urinâ & semine distinctus, albus interdùm, aliquandò flavus aut viridis, per *pudenda* sexûs utriusque dejicitur. *Urinam* non sine cruciatu reddunt ægrotantes. In his non arrigit crystas *mentula*, quin constrictionis in eâ percipiatur dolor, quasi fune quodam circumpremeretur. Fluminis hujus materiem, causam, sedem & *Symptomata*, frustrà tentaverit explicare, quem organorum *Veneri* inservientium fugerit historia. Per *Veneris* organa, cave intelligantur hîc partes quælibet generationi consecratæ. In Sexuum *copulâ*, tota quiescit *Venus*; *Penis* & *Vaginæ* commercio absolvitur. *Vagina*, excipiendo *peni* fœtuique foràs transmittendo nata, canalis est laxus, fortis tamen, contractionis & dilatationis capax. Ab utero, *rectum* inter *intestinum* & *vesicam*, ad *pudendi* inferiora versùs *Clitoridem* & *Uretrham* excurrit. Duabus constat membranis, quibus substantia ejus nerveo-vasculosa & glandulosa continetur. Exterior, quæ muscularis & carnea, *Sphincteris* fungitur mune-

re: Interior, quæ nervea, papillaris & rugosa, innumeris per totum ejus ambitum perforatur meatibus, *lacunis* dictis, ex quibus viscidus humor in *vaginæ* glandulis elaboratus, ad lubricandos canalis hujus parietes jugiter profunditur. Nullibi tamen plures, majores nullibi reperiuntur ejusmodi *lacunæ*, quàm propè *Urethram*; unde *coitûs* momento tam petulanter & copiosè prosilit earum liquor, ut non sine summâ voluptate projiciatur foràs. *Penis*, præcipuum *Veneris* organum, præter *integumenta* communia, tribus potissimùm instruitur partibus. Ab ossis *ischii* margine, principiis notabiliter distinctis oriuntur duo corpora, nerveo - spongiosa intùs & cellulosa, extùs crassa & tendinea. Hæc, post unius digiti transversi progressum, sepimenti tenuis interpositu, ad invicem accedendo procedunt, donec, septo penitùs evanescente, simul in *glande* tandem coalescant. Corporibus *cavernosis* in medio, secundùm eorum longitudinem, subjacet *fistula* quædam, quam *Urethram* vocant, *semini* & *urinæ* foràs expellendis inserviens. Hæc à *vesicæ* collo incipiens definit in *Glandem*, quem expansione suâ producit. *Urethram* in itinere suo rectà semper, ut in feminis, progredi non existimes. Radix ipsius à parte *pelvis abdominis* posteriori & infimâ proficiscitur, unde versus os *pubis* ascendens *Urethra*, unà cum corporibus *cavernosis* incedit. Ingentem ergò ab ejus origine versùs os pubis experitur *curvaturam* donec ad *Penem* pervenerit. Expansio illa *Urethræ*, quæ *Penis* extremitatem vel *Glandem* efformat, crassiorem habet radicem quàm *Penis* ipse, sensimque decrescens in ejus medio foramen *Urethræ* conspiciendum exhibet. Duabus *Urethra* conflatur tunicis strictim contextis, inter quas includitur substantia quædam nerveo-spongiosa & cellulosa, quæ glandulis innumeris conspergitur. Ex his glandulis, ac potissimùm ex illis, quæ in *Urethræ* parte superiori secundùm ejus longitudinem ad *glandem* usque conspiciuntur, ad obliniendam *Urethram* in ejus cavitatem aperiuntur *excretorii* ductus: insignis præsertim, inter cæteros anteriùs, sub *Glandis* radicem positus eminet, qui digito compressus viscidum albumque humorem suppeditat. In *Urethræ* canali, multò priùs quàm *Penem* hic attigerit, interiùs & inferiùs observatur *eminentia*, seu concursus meatuum, quorum auxilio è *Prostratâ Vesiculisque Seminalibus*, semen cum annexis liquoribus in *Urethram* utrinque transmittitur. *Protuberantiam* hanc *Galli caput* seu *Verumontanum* appellant. Singulis *Prostatæ Vesicularumque seminalium* orificiis sua inest *Caruncula* sive *Valvula*, ne liquores intùs reconditi jugi flumine in *Urethram* prosiliant. *Prostata*, *Vesiculæ seminales* earumque *ductus excretorii*, *Urethræ* posterioribus tantùm adhærent, dùm scilicet in *abdominis pelvi* continetur adhuc *Urethra* & notabiliter incurvatur. Præter hæc ultima oscula, non longè ab *Urethræ* bulbo & in eâdem regione perforatur insuper *Urethra Vasculis excretoriis* glandularum quarumdam ab illustrissimis LITTRIO & COWPERO detectarum, quæ liquorem viscidum ad inungendam *Urethræ fistulam* indesinenter exprimunt. Descriptas jam sexûs utriusque partes, *vasorum* omni genere *musculisque* aliquot esse præditas nemini non innotescit. Diutiùs igitur, quàm necessitas postulat, in his hærere superfluum. Hanc autem *Veneris* organorum fabricam qui ritè pependerit, an non *Gonorrhœæ* materiem, causam, sedem & *Symptomata* liquidò interpretabitur? An non curabit appositè?

III.

MORBOS à Morbis non discernit, nisi quem æquus amaverit Jupiter. Quolibet ex ligno non fit Mercurius. Omni è *pudendis* profluvio *Gonorrhœam* designari, sagax probusque rerum interpres nunquam affirmaverit. Equitatio diuturnior, nimius cerevisiæ recentis potus, depravata *renum*, *vesicæ* aut *glandularum* generationi servientium functio, quin etiam variæ partium earumdem læsiones, diversam è *pudendis* dejectionem interdùm excitant. *Gonorrhœa*, prout hìc, vel ab immoderatâ, vel à promiscuâ, vel ab impurâ *Venere* ducit originem. Frustrà dividitur in simplicem & virulentam : hæc ab illâ, non differt specie. Non tam circà virilis *Gonorrhœæ* causam erratum est, quàm circa sedem ejus, materiem & curandi methodum. In *testibus*, in *seminalibus vesiculis*, *in prostatâ*, *Gonorrhœæ* sedem collocavit medentium numerus major. Medentium, dicam, an somniantium! Virtute quâdam extrinsecâ virus ad ægros propagari, fatentur omnes: nec diffitemur. Quid inde ? An idcircò partes ab extremitate *glandis* adeò disjunctas, contagium poterit attingere ? Quânam arte, quo Mechanismo ad tantam impelleretur distantiam ? Numquid non, ubi *Penis* erigitur, sic à corporibus *cavernosis* redigitur in angustum & coarctatur *Urethra*, ut in eam extrinseco liquori nullus omninò concedatur aditus ? *Ab injectionum* vulgari usu *Gonorrhœam* haud raró comprimi, Lippis notum & Tonsoribus. Quàm autem durum est, ne dicam impossibile, ut *injectionum* portio conveniens *Siryngis* communis ope ad *glandulas* supradictas perveniat ? Si præsertim revocetur in memoriam vasa earumdem *excretiora*, solùm ultra *Penem* aperiri in *Urethram*, dùm incurvatur adhuc *fistula* & in *abdominis pelvi* continetur. Quid quòd singulis eorum osculis, nonne sua inest valvula, quæ liquoris injecti commeatum omnem intercluderet ? Ubinam igitur (Si neque in *testibus*, neque in *seminalibus vesiculis*, neque in *prostatâ*) effluxûs hospitium ac sedes ? In ipsâ *Urethrâ*. Reclamas ? Perperam. Substantiam *Urethræ glandulis* innumeris refertam introspicias. Perforatum interiùs undique canalem rimeris attentiùs. Notabiles & *excretioros* ductus, si reperias in ejus parte superiori secundùm longitudinem anteriùs, ac potissimùm sub *glandis* radicem positos, an Ædepol in alio, quàm in *glandulis* undè procedunt ejusmodi ductus, quærendum *Gonorrhœæ* domicilium ? Sed jam inventi sunt. Jam innotescit *glandem*, & structurâ suâ densiorem esse, & ægriùs quàm ipsum *penem* inflari atque indurari. Jam constat *Urethræ fistulam*, ubi in *glandem* desinit & *penis* erigitur, sensim paulò latiorem & apertiorem evadere, quàm sub corporibus *cavernosis*. Hinc contagio liber in *glandis* meatum introitus. Hinc anteriores *Urethræ glandulas virus* primùm afficiet. An aliud indicat, qui vel inter mingendum, vel inter erigendum excitatur dolor ? An non constrictionis, vel æstûs omnis actio ad *Urethram* prope *glandem* dirigitur ? Dùm imò ne minima quidem percipitur molesta sensatio in eâ canalis regione, quæ *prostatæ vesiculisque seminalibus* adhæret aut connectitur. Vis plura ? *Penis Gonorrhœâ* laborans, si manu apprehendatur versùs medium, & continuâ vel successivâ pressione ad *glandis* extremitatem usque arctiùs constringatur, lacrymante veluti *pudendo Gonorrhœæ* materies effluit ; quòd si constrictio similis à *Pube* ad *Glandem* usque statim iteretur, nullus profectò liquor erum-

pit foras: magno sanè argumento, hujus morbi fontem materiemve neque à *testibus*, neque à *Seminalibus vesiculis*, neque à *prostata* unquam proficisci. Quibus jam concessis, nullus, ut opinor, *vaginæ glandulas*, tanquam inconcussum ac genuinum *GonorrhϾ* muliebris fomitem renuet agnoscere. Compertâ ergo penitùs hujus effluxus materiâ in utroque sexu, causâ & sede cognitâ, quid mirum si ab *injectionibus* directa ejus repetatur curatio? Nullum enim è *Pharmacis* luem hanc vel propiùs, vel tutiùs, vel citiùs, vel jucundiùs poterit oppugnare, reprimere, extinguere.

IV.

INJECTIO, Latinis, lavacrum seu ablutio; Græcis ἔνεμα sive Κλυστήρ, est medicamentum fluidum, quod Syphonis aut Syringis ope in partem aliquam immittitur. Nemini non cognitum id medicamenti genus, à Pharmacopolis tamen & Chirurgis præcipuè administrandum: si *Clyster* in anum injiciendus, Pharmacopolarum est proprium. Si transmittendus liquor in *Uterum*, *Vesicam*, *Penem*, *Vaginam*, sinus, fistulas, aures, &c. ad Chirurgos præsertim pertinet. Si tandem injectiones ejusmodi veniant in morbis præscribendæ, solius est Medici. Quot enim à Præpostero & inconsiderato *injectionum* usu, quandoque *Symptomata* emergunt pejora morbis prioribus. *Penis* & *Vaginæ* affectibus si conferant interdùm *injectiones*, maximè ubi *Gonorrhϐ* laborant: liquor enim in hos canales prudenter immissus pestem hanc radicitùs poterit evellere. Medentium curam hucusque falsò præoccupaverant evacuatio *puris*, & virulentorum *Ulcerum* sanatio. Toti nempè erant in exhibendis *catharticis*, *diureticis*, *adstringentibus* & *balsamicis* medicamentis. Hos errores artificis, non artis esse docet descripta jam *GonorrhϾ* sedes, origo & materies. Quantùm enim intercedit discriminis *Ulcus* inter virulentum & *GonorrhϾ* naturam? Quantùm inter *puris* & fluminis hujus materiem? *Gonorrhœa* in bidui triduive spatio ut plurimùm fit sensibilis. Porrò quis unquam judicaverit tam brevi temporis intervallo, *pus* saniemve ad eam assurgere posse fluminis quantitatem, quæ ineunte *Gonorrhϐ* sæpiùs profunditur? An non ubi primò inciditur *Ulcus* virulentum, semper asperam præ se fert conditionem, saniemque putridam exprimit? Incipientis *GonorrhϾ* materies mitis admodùm, alba, mollis & omni ferè corruptione destituta reperitur. Nonne quò longiùs aliqua pars à musculorum conditione recedit, eò minùs ad *pus* conficiendum est idonea: si præsertim in ea nullus observetur adeps? Undenam igitur effluxus hujus quantitas? Ab auctâ Glandularum virtute elasticâ, seu virtute quâdam stimulativâ. Undè virtus hæc stimulativa? Ab acrimoniâ quâdam *acido-corrosivâ*, inter sexûs sparsâ. Spiritûs autem *acidi* & *corrosivi* actio in eo potissimùm consistit quod vasa corporis quibus admovetur & insidet, crebrâ & vehementi contractione percellat. Hinc liquorum, quos ejusmodi vasa vel secernunt vel continent, conditio pejor, uberior excretio. Sic *Vaginæ* aut *Urethræ* glandularum excretorii ductus, ab *acido-corrosivo* contagis spiritu quasi calcare quodam stimulati, humorem suum celeriùs effundunt atque abundantiùs. An aliter *cantharidum* & purgantium vires aut effectus? An alvi fluxus & *Dysenteriæ* quædam, cæteris paribus, aliter possunt explicari? Sed *GonorrhϾ virus*, nec *acidum* nec *corrosivum* esse putas? Falleris. Mittatur *virus* in violarum tincturam aut helio-

tropii ſuccum : hic protinùs cupreum colorem , illa rubedinem paulò dilutiorem exhibebit. Hæreat aliquatenùs in *Glande* vel in *Præputio*, ſtatim inflammatione, *Cryſtallinis*, *Carcinomatibus*, *Phymoſi*, *Paraphymoſi*, aliiſque *Symptomatis* mentula excruciabitur. An certiora poſſunt aſſignari *Corroſionis* ſimul & *aciditatis* argumenta ? Hinc profluvium quò citiùs erumpit, eò acrimonia vehementior ; quò contagium erit potentius, eò ſtimulabuntur magis glandulæ & lacunæ ; quò fortiùs ſtimulabuntur, eò depravabitur magis & adaugebitur effluxûs materies. Naturâ tandem hujus morbi ſic exploratâ, quis directam ejus curationem ab *injectionibus* ſperandam non eſſe pronuntiaverit ? *Gonorrhœæ* prompta & in ipſis radicibus evulſio, ab inducto effluxûs incremento nunquam expectanda. Hanc non aliunde quàm ab acrimoniæ retuſione repetas. Dometur contages : vis ſtimulativa remittit, citò tutòque cohibetur flumen. Liquores igitur viſcoſitate primùm imbutos, lenientes, emollientes, anodynos, (ab ineunte vel paululùm gliſcente morbo) detergentes interdùm & leviter vulnerarios (ſi opus) in Urethram & Vaginam ſtudeas injicere. Numquid non lentis ac mucoſis *injectionum* particulis, *acido-corroſivum Gonorrhœæ virus* intricabitur, frangetur, vincetur ? Annon emollientibus & lenientibus demulcebitur ? Nonne anodynis ſedabitur glandularum *Erethyſmus ?* An detergentibus & vulnerariis non reſtituetur *Lacunarum* tonus ? Sic *Vaginæ* atque *Urethræ* canales lento mucore obliniti ac perfuſi, adverſùs ſeminis & urinæ acrimoniam munientur, nec ſtimulabuntur ampliùs. Sic non ipſa contages tantùm, ſed & fidi ejus ſatellites, dolor, inflammatio, profluvium, feliciter expugnabuntur, opprimenturque radicitùs. At experientiæ cedat ratiocinium. Dubium & controverſiam reſpuunt facta. Conquerebantur infirmi de mictu æſtuoſo ac doloroſo, de moleſtâ inter arrigendum conſtrictione, de rubedine *glandis* & inflammatione, flava quædam vel etiam viridis humiditas ex *Urethrâ* ſensim deſtillabatur. Fatebantur vel inviti, hanc Symptomatum catervam ab immoderatâ vel impurâ Venere proficiſci. Quid tùm ? *Injectiones* noſtras ſtatim ab initio, victum *humectantem* ac diluentem, ſeveram in rebus aliis non naturalibus temperantiam præſcripſimus. Nec felix nos fefellit exitus. Quotquot juſſibus ejuſmodi ſteterunt, nulli exindè ploraverunt *Gonorrhœâ.* Ubi, vel *plethoricus* æger, vel vehementior inflammatio, vel æſtus intenſior, Venæ Sectioni aliquatenùs indulſimus : nec pepercimus enematis emollientibus vulgò laxativis. De abſtinendo penitùs ab *acidis*, *nitroſis*, *diureticis*, *catharticis*, *adſtringentibus*, quin & *balſamicis*, fuit nobis antiquiſſimum. Ab ejuſmodi medicamentis non ſolùm ut inutilibus, ſed etiam ut execrandis abhorret directa *Gonorrhœæ* curandæ ratio. Hinc incipientes *Dyſenterias*, alvi fluxûs etiam confirmatos ad optatam curationis metam adduxit ſimilis & unica clyſterum adminiſtratio. Adeò conſtans & explorata medendi noſtra methodus !

V.

IRATAM cogitas placare *Venerem ?* Legitima ſubmove ipſius impedimenta. Apage pudendorum morbos cum eorum ſordibus. Hinc procul quorumdam effrœnata temeritas, qui, vel *Gonorrhœam* ſuis auſpiciis relinquendam eſſe putant, vel ſe, afflando mulieri ſanæ luem quam hauſerunt, ab omni *Gonorrhœæ* contagio ſolutos prædicant atque liberatos. Sed vah !

Perditum hominum genus. Sint *injectiones* noſtræ ſacra anchora ; ad quam *Gonorrhœa* vexati confugiant. Feliciter his utetur & morborum præcavebit iliadem qui ſtatim ab initio legibus noſtris obtemperabit. At hanc *Gonorrhœæ* ſanationem præcocem jam increpas, tanquam incubam mali deterioris? Quid enim (ais) retentum in corpore *virus* extinguetur? Annon ſolo eoque jugi profluvio ſubducitur? Nonne hoc ſuppreſſo intùs, in malorum alitur fomitem? Præpoſtera ſanè cautio eſt poſt receptum hoſtem fores occludere. Ad hæc tam rationi ſenſuique adverſa veniret nemo, qui, vel perpendiſſet ab *injectionibus* exterminari *adſtringentia*, vel noſſet incipientis *Gonorrhœæ* virus ob *fixitatem* ſuam hærere tantùm in glandulis *Urethræ* vel in *lacunis*. Quando enim contagium vel ſubtilius eſt, vel evolvitur aut exaltatur, ſubit faciliùs vaſa lymphatica & ſanguinea. Hinc abſque ullâ præcedente *Gonorrhœâ, Carcinomatibus, bubonibus*, &c. vel ipſâ *Syphilide* quandoque afficiuntur Scortatores. *Virus* ergo cum ineunte *Gonorrhœâ* fixum ſit & hæreat adhuc oſculis vaſorum excretoriorum, cur ejus extinctio ſtatim ab initio non eſt adorienda? Quænam utilitas in morâ? Nonne, ut cæteros morbos, ſic *Gonorrhœam* cnm ſuo Symptomatum ſatellitio præcavere meliùs quàm expectare? Quid porrò de *Catharticis, diureticis, adſtringentibus* & *balſamicis*, de quibus tot miracula prædicavit huc uſque *Chirurgorum* vulgus? Hæc ad indirectam curandi methodum relegamus. Ad illud indirectæ curationis nomen obmurmuras. Quidni? Annon indirecta cenſeri debet ea Methodus, quæ nec ita certò, nec ita citò, nec ita jucundè medetur; quæ præjudicatis opinionibus innixa, vel potiùs obcœcata, tota quieſcit vel in ſanandis ulceribus, vel in promovendo *puris* effluvio; quæ tandem rotundis quadrata miſcendo plus affert interdùm incommodi quàm utilitatis. Nunquid enim *Catharticorum* & *Diureticorum* ſtimulo contagii virtus non ſtimulabitur? An non diuturno eorumdem uſu mucus *Urethræ* ſæpiùs abraditur? *Adſtringentia* & *balſamica* (quæ eamdem ferè virtutem obtinent) non ſolùm humorem *morbificum*, ſed etiam naturalia *Lacunarum* flumina ſic cohibent, ut *Urethram* mucore ſuo defraudatam, mille cruciatibus exponant. Undique igitur conſtrictionis dolor, æſtus urinæ, *Dyſuria*, *Iſchuria*, quin & cicatrices illæ quas *Urethræ carnoſitates* perperàm vocant, quibus ad multos annos miſerè divexantur ægrotantes. Sed ecce ad illud *Caruncularum* nomen expergiſceris. Jam (redarguis) in *Urethrâ*, versùs & ultrà *verumontanum* inventæ ſunt ejuſmodi *carnoſitates*. Quoties in cadaveribus eorum, qui ad mortem uſque *Gonorrhœâ* infeſtabantur, nunc *Seminales Veſiculæ*, nunc *proſtata*, nunc teſtes ipſi *ulceribus* defluentes reperti ſunt? Repentinam & intempeſtivam *Gonorrhœæ* ſuppreſſionem annon ſæpiùs excipit *teſtium* intumeſcentia? Quid indè? An idcircò incertum erit noſtrum de *Gonorrhœæ* naturâ aut medelâ documentum? An ideò, vel in *Veſiculis ſeminalibus*, vel in *proſtatâ*, vel in *teſtibus* erit collocanda *Gonorrhœæ* ſedes? Abſit. Si enim morbo neque ab initio, neque directè medeatur, quid impediet ne virus creſcens in dies majora ſubeat vaſa? Nonne *acido-corroſiva* contages, partes vicinas æqualiter ſtimulare poterit, ferire, corrumpere? An aliter generantur *glandis*, *præputii*, vel etiam *Urethræ carcinomata*? An in *inguinibus bubones* aliter producuntur? Ratione ſcilicèt non abſimili in *inguinum glandulis* ponendum foret *Gonorrhœæ* domicilium: quia, vel ab adſtringentibus, vel alitèr ſuppreſſo flumine, *bubones* in *inguinibus* erumpunt. At quid abſurdum magis? Non itaque ità glorioſè de ſe prædi-

cet indirecta *Gonorrhœa* curandæ ratio. Quærantur medicamina, quibus acido-corrosivum hujus morbi *virus* funditùs evellatur. Ex his compositus liquor ab ineunte *Gonorrhœâ* in *Urethram* immittatur. Affectas canalis hujus vel *Vaginæ glandulas* immediato contactu suo recreabit. Radicitùs domabitur contages. Aucta glandularum vis elastica aut stimulativa remittet. Ductus earum excretorii non stimulabuntur ampliùs. Sicque restituetur depravata *Lacunarum* aut *Glandularum* functio. Optarent fortasse nonnulli, à nobis adducerentur in medium solemnes formulæ, quibus laudata jam auxilia in usum venire solent ac revocari. Ast satis superque illorum studiis factum erit, si conveniam cum Illustrissimo VERCELLONO, cujus hæc sunt verba:

Jacobus Vercellonus Pedemontanus, Phil. & Med. Doct. in suo Tractatu de pudendorũ morbis, Cap. 2°. pag. 45. Lugduni Batavor. 1722.

Quin etiam meliùs actum iri ducerem cum morbis Venereis, si minus receptarum, *vulgi manibus teneretur. Harum enim occasione factum est, ut* Barbitonsores, *unguentarii, nugivenduli, agyrtæ omnes illorum curationem ducant suam, Medicis nihil interesse prædicantes externis defluxionibus providere, imò & in hâc parte ignaros palam edicentes: ac neque interim tamen aliud præstant, quàm ut exhaustis penuariis, crumenis emunctis, morbo exasperato, cadavera linquant Medico piè visitanda: Insuper & si hæc denique ad sepulturam deferantur, mortis causam in ipsum Medicum refundant. Præscriptiones ergo Medicorum si hic est exitus, expedit potiùs silere quàm docere; Medico nihilominus, quæ gerenda sint, ex iis quæ diximus, facilè comprehensuro.*

Nemo igitur *Gonorrhœæ* curationem aggrediatur, nisi apprimè norit hujus morbi causam, naturam, sedem, materiem, *symptomata*; nisi medicamentorum vires, usum & abusum teneat. Sic edoctus, haud dubiè nobiscum concludet.

Ergò ab Injectionibus *directa* Gonorrhœæ *curatio?*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Antonius Renard.	*M. Antonius Lemoine.*	*M. Joannes-Baptista Chomel, Medicus Regis ordinarius, è Regiâ Scientiarum Academiâ.*
M. Franciscus Bailly.	*M. Petrus-Antonius Lepy.*	*M. Philippus Caron, antiquus Facultatis Decanus.*
M. Andreas Delalen.	*M. Elias Col de Villars, Chirurgiæ vernaculo sermone exponendæ Professor.*	*M. Claudius Burlet, Regiæ Scientiarum Academiæ socius, Regis Hispaniarum olim Medicus, & Regiæ prolis Medicus primarius.*

Proponebat Parisiis, ANTONIUS-NICOLAUS GUENAULT, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1730. à sextâ ad Meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1730.